

**Dissertatio inauguralis medica : de arsenico ... / auctor Carol. Ferdinandus Kleinert.**

**Contributors**

Kleinert, Karl Ferdinand.  
Universität Leipzig (1409-1953)  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Lipsiae : Imp. B.G. Teubner, 1825.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pzr7n6bz>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE<sup>R</sup>TATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
A R S E N I C O

---

Q U A M  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE CAPESENDIS  
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU  
IN AUDITORIO IURIDICO  
DIE X. MAJI ANNO MDCCCXXV.

H. C.

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

CAROL. FERDINANDUS KLEINERT  
GLOGAVIA - SILESIUS  
PHILOSOPH. DOCTOR, AA. LL. MAGIST., MEDICINAE  
BACCALAUR. ET COLLEGII B. M. V. SODALIS.

---

L I P S I A E  
IMPRESSIT B. G. TEUBNER.

Digitized by Internet Archive  
in cooperation with MEDICAL LIBRARIES

DE

# A Y S E N I C O

6 U M

IN ACADEMIA LIBRELLIS

CATOLIC MEDICORUM ORBIS VINCULATI

PRO SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

ET CYPRESSIS

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

DE

LETTERE DELIZIANTI

AL DOTT.

CAROL. FERNANDUS KELLINE

GRADUATA - EXCELSA

PHYSICOLOG. DOCTOR. A. F. KELLINE. MEDICO ET  
BIOGRAPHER. IN CORTECHI ET IN L' ACADEMIA

LIBRARY

Digitized by Internet Archive

<https://archive.org/details/b22483287>

VIRIS  
ILLUSTRISSIMIS AMPLISSLIMIS  
PRAENOBILISSLIMIS

LUDOVICO HERRMANNO

POTENTISSIMO REGI BORUSS. A CONSILIIS INTIMIS  
SUPREMIS IN ADMINISTRANDO AERARIO

CAROLO THIEMIO

POTENTISSIMO REGI BORUSS. CONSILIARIO IN MODE-  
RANDIS INSTITUTIS CUM DISCIPLINAE, TUM  
SECURITATIS PUBLICAE

ET

GUILIELMO THIEMIO

POTENTISSIMO REGI BORUSS. CONSILIARIO AULICO ET  
REI JUDICIARIAE IN CONSILIO PUBLICO PRAESIDI

NOTA

6114

ОДАМНЯН ОДОДЦ  
АВУНКУЛІС ДІЛЕКТИСІМІС ТА АУТОРІБУС

ОДАМНЯН ОДОДЦ  
АВУНКУЛІС ДІЛЕКТИСІМІС ТА АУТОРІБУС

SUMMA PIETATE COLENDIS

ОДАМНЯН ОДОДЦ

HUJUS LIBELLI DEDICATIONE

73

GRATUM ANIMUM SIGNIFICARE VOLUIT

ОДАМНЯН ОДОДЦ

АВУНКУЛІС ДІЛЕКТИСІМІС ТА АУТОРІБУС

AUCTOR.

## P R A E F A T I O.

---

Alia data occasione physico-chemicam de arsenico dissertationem edidi, illas in primis materias respiciens, quarum ope arsenici ubique latentis prae sentiam certis indicis cognoscere licet.

Jam vero, quae restant de effectu ejus in organismum humanum, ad nostrum usque tempus non omni ex parte illustrato, arsenicique usu in variis morbis (nunc jure meritoque maxime accuso), nec non de beneficio, ope ejus commissi, phaenomenis scribam, ita ut tractatum de hac insigni substantia edam, quo collegerim omnia, quae hac de re per annorum recentiorum de-

cursum, maxime vero ab Hahnemanno jam  
superiori saeculo tam egregie praecepta sunt.  
Hisce vero sedulo collectis, hic illic mea qua-  
liaeunque addidi, quae, ut aequo et justo ani-  
mo excipiatis, Vos Lectores Benevolos rogo.

OPTABANTIS

---

## C A P U T I.

### *De effectu arsenici in organismum humanum.*

#### §. 1.

Quo tempore et quo auctore arsenicum primo sit in usum vocatum, quum nesciamus, suspicari tamen licet, veteres Graecos insignem arsenici efficaciam in corpus humanum jam diu animadvertisse. Etenim jam *Dioscorides*<sup>1)</sup> atque *Aristoteles* ut antisepticum et corrosivum remedium laudant, usumque ejus externum contra ulcera et impetigines, internum vero contra pulmonum aliquot morbos commemorant. Quod idem fere apud *Celsum*<sup>2)</sup> legitur, *Plinium*<sup>3)</sup> *Galenum*<sup>4)</sup>, et qui ipsos sequuntur; qui vero omnes nullum arsenici praeparatum novisse videntur, nisi connubium illud duplex, quod

---

1) Dioscorides περὶ τῆς ἱατρικῆς. Lib. V. c. 121.

2) Celsus de medicina Lib. V. cap. 5.

3) Plinii Sec. histor. nat. Lib. XXXIV. c. 56.

4) Galenus de simpl. med. Lib. IX. cap. 3.

cum sulphure constituit<sup>1)</sup>; albi enim arsenici *Avicenna* demum mentionem fecit. Saeculo 13 et 14, medici arsenico ut antiseptico et purificante remedio usi sunt. Inde vero a saeculo 16 contra varias ulcerum species frequentius adhibebatur. A *Paracelso*, serius a *Fallopia*, aliisque multis laudibus elatum est. Mox sequente saeculo (fere medio) internum ejus usus crebrior factus, et *Lemerius* quidem atque *Wepferus*<sup>2)</sup> primi febrifugam arsenici virtutem docuerunt, quae vis ad nostra usque tempora agnoscebat, aliis arsenicum mirifice commendantibus. Propter maximas laudes, quas febrifuga arsenici vis tulerat, multi medici id ad alias etiam morbos, praesertim periodicos depellendos adhibuerunt. Nemo vero medicorum impensis arsenico favit, quam celeberrimus olim in academia Jenensi Professor *J. Slevogt*<sup>3)</sup> aliquique laudatissimi viri, *Arnemannus*, *Marcus*, *Harlesius*<sup>4)</sup> *Heimius*<sup>5)</sup>. Inter Anglos praeclipe *Fowlerus*<sup>6)</sup>, nec non *Williamus*<sup>7)</sup>: in Italia praeter *Locatellum* imprimis *Brera*<sup>8)</sup>. Nulle

---

1) Arabi medici intelligunt sub' sandaracha gummi juniperinum.

2) In tractatu de cicut. aquat. Basil. 1679, p. 291. meminit decocti arsenicalis, febrifugi praestancissimi.

3) Programma de arsenico. Jenae 1719.

4) De usu arsenici in medicina. Erlang. 1811.

5) Der Arsenit als Fiebermittel. Berlin 1811.

6) Medical reports on the effects of arsenik etc. 1786.

7) Lond. med. Journ. 1808.

8) Annotazioni med. pratt. Edit. sec. Tom. I. p. 228.

tamen tempore non fuerunt alii, qui laudatoribus illis repugnantes, dirum hoc remedium tanquam anceps et incertissimum, vel adeo omnino pernicio-  
sum repudiarent argumentis, ex ratione simul et usu sumtis, nixi. Ex quibus nominasse sufficiat *Stahl-  
lium*<sup>1)</sup> *Wedelium*, *Thilenium*, *Neumannum*, *Huf-  
elandium*<sup>2)</sup>, *Hennigium*<sup>3)</sup>, *Gmelinum*<sup>4)</sup>). Nonnulli denique a laude, quam primum arsenico dederant, ex parte recesserunt, uti *Hornius*<sup>5)</sup> et *Marcus*<sup>6)</sup>.

Apud exterios nonnullos populos hoc remedium, vel olim vel nunc quoque saepe in usum vocatur. Sic in Sibiria arsenicum sulphuratum rubrum contra febres intermittentes jam diu est in usu, Sinensibus magistris, qui in pateris ex illo confectis acidum quemdam liquorem aliquamdiu reponunt, pro laxativo remedio hausturi. Apud Daciae gentes asthmati et in India orientali variis morbis in primis hydrophobiae medicamentum habetur<sup>7)</sup>). Quibus hominibus, si arsenicum longe minus nociferum est,

1) Opusc. phys. med. chem. 1717, pag. 430.

2) Journ. d. prakt. Heilk. I. Bd. 16 St. S. 07, III. Bd. 16 St. S. 233.

3) Ibidem X. Bd. 26 St. S. 143.

4) Allgem. Geschichte d. mineral. Gifte. S. 1717.

5) Horn's Archiv. Neue Folge. März und April 1811. S. 340.

6) Ephemeriden d. Heilk. II. Bd. 56 St. S. 337.

7) Hecker's Annalen der gesammten Medicin ic. I. Bd. 26 Heft. Leipzig. 1810. S. 154.

quam nobis, procul dubio coelum, consuetudo, vitae genus et reliqua pro causis habenda sunt.

Late autem in officinis artificum arsenici usus patet. Operae igitur pretium foret inquirere, quantum hoc quoque arsenici usu valetudo bona et ipsa vita possit labefactari.

## §. 2.

Arsenicum, et album quidem praeceteris, atrocissime infestat et cito extinguit vim vitalem organismi insitam, simul materiam organicam etiam peculiari modo inficiens. Exigua copia sumtum, forte a duodecima ad sextam usque grani partem vel hac copia exceptum, ut ardorem circa praecordia excitet, pro forti irritamento habetur, quod peculiari vi febriculam cieat, omnes organismi partes pervagantem, adeo stagnationes inveteratas subinde tollentem; quem ad finem audaciores medici jam dudum agrotis arsenicum porrexerunt. Majores doses ardorem creant ventriculi, dolorem pectoris, vomitum, sitim ingentem, alvi dejectiones frequentes, attamen sine dolore missas, urinam aductam, interdum sanguinis ex naribus fluxum, atque haemoptoēn. — Continuatae vero gignunt halitus odorem foetidum, salivationem, vel omnino symptoma, quae tabem metallicam comitantur: haemorrhagias narium et pulmonum, sedes cruentas, blenorhoeas, cutis siccitatem cum transpiratione suppressa, dolores in articulis pedum manuumque,

arthritidem mentientes, pruritum et torporem in apice digitorum, muscularum exsiccationem, tabem universalem, virium prostrationem, denique paralysin artuum et sensuum. — Sub hac tristissima rerum conditione vix sanitas reparari alicui poterit, mors contabescenti ineluctabilis. Verum, remoto etiam arsenico post prima beneficij symptomata, non solent excludi secundarii effectus: pinguedinis accumulatio innormalis et cita, v. c. spatio aliquot mensium postquam pauxillum de illo erat ingestum, peculiaris species erysipelatis oedematosi, faciem obtinentis; insignis proclivitas in scorbutica mala, alvi fluxus post levissimam quamque causam provocati, tarda et sera virium restauratio. Mortiferas arsenici doses inde ab uno ad quinque grana et supra symptomata subsequuntur varia, pro varictate copiae assumtae (15 enim ad 20 grana universam vim vitalem extinguent), pro varietate loci, quem primum petierat arsenicum, pro peculiari indole constitutionis, aetatis, valetudinis, quin etiam pro diversitate rerum multarum fortuitarum v. g. num ventriculus repletus fuerit, an jejunus. Propterea nunc fortiora, nunc mitiora symptomata arsenicum profert, caque nunc citius nunc serius excitat <sup>1)</sup>.

1) Pleno ventre vix tam saevos exserit effectus, quam vacuo et jejunio, vel adeo spirituosis aliisve excitantibus replete. Pejora sunt symptomata in hominibus, jam morbo et animi pathematibus affectis, quam in sanis. Homines, qui arsenico albo mures interficiunt, absque ullo metu et sine noxa arsenicum gustare, vulgo notum est. Vapores arsenicales

Quibus omnibus mira nascitur diversitas vestigiorum,  
quae cernuntur in eadaveribus disseotis.

Ex omnibus autem maxime vulgata symptomata inveniuntur haec: sapor causticus, acer, adstringens, ardor linguae, faucium et ventriculi constrictio et siccitas pharyngis, sitis non extinguedenda; mox phaenomena gastritidis vehementioris: saevi, urentes torquentes, lacerantes dolores circa ventriculum cum nausea, salivae fluxu, vomituritione, vomitu interdum cruento juncti, haud raro sedes cum maximis doloribus, brunneam, subcruentam foetidam materiam dejicientes. Initio abdomen contractum apprehendimus, serius vero tumet et ardet ob inflammationem organorum hujus cavi. Quibuscum localibus effectibus alia junguntur symptomata, quae ab arsenico in circuitum excepto, a respiratione impedita et systemate nervoso gravissime laeso pendent, e. g. anxietas, calor circa cordis regionem adactus, palpitatio cordis, pulsus parvi, frequentes, irregulares, respiratio brevis, frequens, anxia, nunc frigoris sen-

sanitati quidem infesti, attamen salva vita diu ferri, in iis videmus, qui in fodiis arsenicalibus vitam trahunt. Conuetudo et hoc in veneno magni aestimanda est, adeo idiosyncrasia vim virulentam dominatur, cuius rei exemplum in ephem. med. nobis traditum est (Samml. außerles. Abh. für prakt. Aerzte. Bd. XV. S. 29). Hermbstaedtius nonnisi  $1\frac{1}{2}$  granis arsenici sumtis, symptomata sentiebat, et Maur. Hoffmannus virum commemorat, qui lacte antea magna in copia hausto, 10 grana arsen. sine detimento sumebat,

sus, nunc aestus per totum corpus perfusi. Mox languescunt vires, vertigo oboritur; tremor, animi deliquia cum convulsionibus, animus tamen ad mortem usque saepe sui compos.

Quae quidem beneficii signa in uno eodemque homine saepe haud omnia cernuntur <sup>1)</sup>; saepenumero alium etiam sequuntur ordinem <sup>2)</sup>, et nonnunquam locales arsenici effectus universalibus non omnino respondent. Et inspirationem pulveris vel vaporis arsenici vehementissima mala sequi, constat inter omnes, qui tenerrimam pulmonum structuram et infestam arsenici vim noverunt; respirandi difficultas, tussis cruenta, vertigo, dolor ventriculi constringens, tremor artuum, convulsiones, ipsae paralyses et mors inde sequuntur <sup>3)</sup>.

Verum etiamsi arsenicum a vulneribus, ulceribus, exanthematibus, atque ab epidermide tenuiori vel in pulveris forma vel in unguento, vel in aqua solu-

1) Nullus vomitus, matura tamen mors arsenicum sumtum sequebatur; vid. Wepfer. hist. cic. cap. 21. pag. 349. — Haud intumuit abdomen, rapido veneni effectu, vid. Phyl's Huff. V. §. 106.

2) Dolor capitis et vertigo, prima symptom., vid. Schweißhardt's medic. gerichtl. Beobachtungen, I. §. 174.

3) Hahnemann über Arsenikvergiftung ic. Leipzig, 1786. §. 134. — Sennertus, prax. med. I. VI. cap. 52. Pictorem quemdam, cum capsulam arsenico repletam diu occlusam aperiisset, in lipothymiam incidisse refert, a qua praestantissimis alexipharmacis vix liberari potuit.

tum excipitur, in sanguinem transfertur, similesque effectus habet, quam si in ventriculum ingeritur, ne excepta quidem inflammatione ventriculi <sup>1)</sup>.

Post mortem vero corpus intumescit, cutis, in primis circa oculos, lividis maculis sordida est; scrotum inflatum, capilli et unguis facile excidunt, muscularum irritabilitas brevi extinguitur. Aperto abdomine membrana ventriculi et intestinalium pittuitosa interdum solummodo corrugata, vel extrinsecus a maculis coeruleis purpurascens, veluti a sanguine effuso conspiciuntur membranae <sup>2)</sup>. Nonnunquam ventriculi membrana rubescit. Saepius autem haec tunica faucium, ventriculi (potissimum ad cardiam) et intestinalium tumet et inflammata est, hinc inde corrosa et attrita; subinde etiam justo crassior,

---

1) Gmelin, l. c. p. 117. Sproegelii experim. circa varia venena. Götting. 1751. p. 61. Büttner's Untersuchung S. 208. Pyl. l. c. I. p. 46. Hahnemann l. c. §. 89. Ubiunque extrinsecus arsenicum adhibeas, a ventriculo potissimum noxia ejus vis exire videtur, quod huius organi saevi dolores, vomitus, vertigo aliaque symptomata testantur, imo, Brodio suadente, ab arsenico externe exhibito major ventriculi inflammatio cietur, ac si immediate in eum ingestum esset.

2) Nunquam ulceratos locos vel escharas atro lividas q. v. in ventriculi parietibus invenit Orfila, brevi post assumptum venenum accidente morte. Nonnunquam sine ulla labe conspiciebatur tractus intestinalium, quamquam in eo latebat arsenicum; Vide Ettmüller Ephemerid. N. C. Cent. 3 et 4. obs. 126. Marc, Manuel d'autopsie cadaverique. p. 66. — Sallin, Journal de medicine T. 58. p. 176.

rugosa, dura invenitur, et si pulvis arsenicalis degluttus fuerit, reliquiae eius interdum hic, vel in liquore aquoso, mucoso, vel cruento deprehenduntur. — Cor flaccidum et venae sanguine atro, dissoluto, repletae sunt. Cerebri vasa turgent sanguine, quorum haud raro unum alterumve disruptum est, ita ut hic similia conspiciantur phaenomena, quam in catarrho suffocativo, sed minori gradu. — Praeterea nonnunquam alia prodeunt signa pro varietate partis, quam primum tetigit venenum, et copiae veneni. Si mors, arsenico per inspirationem assumto, acciderit, viae aëriferae plus minusve inflammatae, pulmones corrugati inveniuntur; post mortiferum solutionis arsenicalis usum in tinea capitis, dura mater valde inflammata; alibi manifesta affectio sympathica membranarum mucosarum (in organis respirationis et uropoëticis) et serosarum reperiebatur, praesertim ubi mors post aliquot dies demum veneficium allatum sequebatur; hac ratione peritonaeum inflammatum, glandulae mesentericae inflammatae, induratae et inflatae, bilis vesiculam felleam distendens dissoluta, liquores in péricardii, pleurae, peritonaei cava transssudati inventi sunt.

Putredo cito accedit, cuius causa celerior sanguinis destructio est. Viscera celeriter in ichorem foetidum dissolvuntur, verum postquam modo citius, modo serius arsenicum totum corpus penetravit, putredo iterum supprimitur; cadaver sepultum exsiccatur integumenta, tenaciora, corio rite praeparato similia fiunt, et incisione facta aura effluit

peculiaris, casei odorem, plane diversum ab odore putredinis, spargens<sup>1</sup>). Quod quidem hoc modo explicant: arsenicum nempe, tractui intestinalium et sanguini inhaerens, elemento hydrogenio, putredine provocato, in hydrogenium arsenicatum converti, quod deinde totum corpus penetret et partim a putredine tueatur, partim a vermium attritu defendat.

### §. 3.

De ratione vero, qua arsenicum humanum corpus afficiat, de systemate, in quod speciatim agat, et de via, qua minori dosi porrectum morbos possit fugare, singulorum sententiae fere nunquam conveneunt. Olim arsenico vim mechanicam per particularum spiculas, vel etiam chemicam adscripserunt. Licet vero haud negari potest, vim arsenici ex parte chemicam esse, itaque ea organa saepe destrui, quae ab arsenico ipso tangantur, tamen, quia vestigia dissolutionis et destructionis chemicae in cadaveribus saepe non tanta inveniuntur, ut mortem solum modo allatam esse credere liceat, et quoniam destructione illa nondum conspicua, atrocissima symptomata cito a veneno illo proferantur, concludendum est, aliam, praeter vim mere chemicam, inesse arsenico virtutem nocivam.

---

1) Hufel, Journ. Bd. 16. St. 1. S. 180.— In Augustin Repert. II. S. 27. — Arsenicum si cito, priusquam totum corpus penetraverit, occidit, putredinem non avertere, Borgius contendit; vide: Schneider über die Gifte sc. Tübingen 1821.

Hufelandio teste arsenico vis inest materiam vita  
praeditam destruendi, functionemque in primis repro-  
ductivi systematis impediendi, unde citius seriusve  
tabes, phthisis pulmonalis, infarctus viscerum abdo-  
minalium, hydrops arcessuntur. —

Quibuscum illa sententia convenire mihi videtur,  
quam Jaegerus <sup>1)</sup>), qui de hac re egregie disputavit,  
suas secutus disquisitiones multum celebratas, propo-  
suit. Secundum hanc sententiam arsenicum in sanguinem,  
potissimum per venas illarum partium, quibus  
proxime illatum fuit, recipitur; sanguis hac re muta-  
tur et ineptus redditur ad mutationem, respirationis  
processu in pulmonibus subeundam <sup>2)</sup>). Qua sanguinis  
corruptela, praeceteris fibrarum irritabilium extingui-  
tur facultas sese contrahendi, unde atonia muscularum,  
respiratio molesta. Sentiendi facultate ita vim contra-  
ctionis superante, motus existunt convulsivi; dolores  
colici, sanguinis inflammatoriae congestiones ad viscera  
abdominalia, secretiones aductae ex sensibilitate illis  
in locis accumulata. Denique et omnis sentiendi vis

1) Dissertatio de effectu arsen. in var. organism. Tübing. 1808.

2) Neque Jaegerus hunc arsenici in sanguinem singularem effe-  
ctum primus videtur cognovisse. Jam Wedelius in theoria  
saporum medica. Jenae 1703. Sect. IV. de corrosivorum  
natura, usu et abusu dicit: Corrosiva interne assumta, aut  
externis venis infusa, principia vitalia destruunt. *Resol-*  
*vunt enim sanguinem ejusque σύστασιν pervertunt etc.*

exhauritur. — Ob resolutas fibras vasorum sanguiferorum quae serius laeduntur, cessat pulsatio arteriarum, extremae partes frigent. Sanguis ad transsudationem proclivis redditur, indeque in externa ventriculi et cutis superficie maculae coeruleo purpureae, quas in unoquoque per arsenicum necato animadvertimus. Ubi arsenicum mortem non affert, morbos provocat ex sanguine per arsenicum peculiari ratione corrupto oriundos. — Quo major autem copiae veneni sumti, quo celerius in sanguinis massam recepta est, eo certius signa sanguinis dissoluti observantur, eo citius principium vitale cordis et vasorum suppressum, eo celerius anima efflatur, priusquam localis inflammationis symptomata et convulsiones in conspectum prodeunt. Hoc modo explicari potest, quomodo phaenomena beneficii, per unam eandemque materiam illati, pro varia ratione ingerendi et pro varia aliquius hominis conditione non semper eadem sint, sed modo permulta et varia, modo paucissima. —

#### §. 4.

Ut non modo secundarios effectus arsenici in morbis sanandis usurpati praecaveamus, verum etiam lethalem beneficii exitum avertamus, opera in eo collaudanda est primum, ut venenum via quam brevissima e corpore eliminetur; deinde, ut arsenicum, quantum fieri potest, solvatur remediis, quae simul virtutem habent, connubium minus noxiun constituendi, venenum involvendi et mitigandi, denique ut mala tollantur, citius seriusve ex arsenico oriunda.

Hic vero in medicamentis recte adhibendis tempus, inde ab arsenico sumto elapsum, maxime respiciendum est. Vomitum arsenicum ex ventriculo eliminare simplicissimum, citissimum auxilium et tutissimum etiam est, dum modo non nimis diu arsenicum devoratum est, ita ut pars ejus in ventriculo adhuc remanserit. Sollicitetur autem ille ope plumulae, oleo perunctae, fauces titillando, ventriculum replendo decoctis et potionibus mucilaginosis (sem. lini, rad. altheae etc.) vel albumine aqua diluto, vel aqua saccharata, lactis larga ingestione (nam pauca lactis copia et potuum mucilaginosorum, vomitum potius sedabit), quae res non solum distendendo ventriculum ad vomitum irritabunt, sed etiam venenum ipsum involvent et diluentes stimulum obtundent. Quae vero, si minus citum nec sufficientem vomitum commoverent, viginti usque ad sexaginta grana radicis ipecacuanhae mixtae cum duabus tribusve unciis aquae destillatae cochleatim porriganter, intervallis brevioribus, vel etiam infusum ipecacuanhae<sup>1)</sup>). Cavendum autem hic est, ne hypremesin et ventriculi inflammationem provocemus, quam venenum cito ejiciendo avertere studebamus; vel, ne nimia aquae tepidae mole ingesta, illum adeo relaxemus, ut propterea vomere non valeat.

---

1) Quamquam nonnulli ob celeriorem effectum tartarum emeticum vel zincum suphuricum solutum (debita dosi) praeferebunt, tamen cautissime, vel plane non adhiberi merentur, quia nimis ventriculum irritant, et illud antimonii præparatum diarrhoeam simul excitans, venenum per totum intestinorum tractum dicit.

Jam veteres medici (*Rhazes, Avicenna, Wepferus, Bonnetus*) cibos ac potus mucilaginosos spissiores, adiposos, pultem e farina vel pane paratam, choco latam commendabant, quorum ope arsenicum facilius a villis tunicae ventriculi auferatur, et involvatur, et ita multo facilius vomendo ejiciatur, quam per postus diluentes. — Ad eundem finem *Hahnemannus* prae-primis spissiorem saponis solutionem laudat, poculis minoribus ab aegro hauriendum <sup>1)</sup>). Praeter eum usum, quem solutio tenacitati et spissitudini suae debet, blandissima etiam ratione vomitum excitat, et arsenicum involutum fere totum e corpore aufert. Comprobatum deinde antidotum, utpote propter chemicam infinitatem, connubium cum arsenico minus noxiun ingrediens, aqua est gase hydrothionico impregnata, satis large cum potionibus mucilaginosis et lacte haurienda; porro aqua calcis cum lacte; utraque vero ibi tantum adhibetur, ubi arsenicum solutum hau-stum esse, certiores facti sumus.

Hufelandus liquorem kali carbonici commendavit, omni horae quadrante ad sexagenas guttulas sumendum, oleo et lacte subactum.

---

1) Suadet sapon. medicati lib. I. solvi in aquae font. lib. IV, quam solutionem omnem consumat adultus intra bihorium. Quatuor librae hujus liquoris sufficere in homine 18—20 annorum, librae 3 in homine 12—16, librae 2 in junioribus contendit auctor; l. c. §. 175.

Quando symptomata urgent in sanguinis ad superiores partes congestione vehementi, mox ab initio venaesectio instituenda est, pro varietate aetatis constitutionis et symptomatum, plus minusve larga, quae adeo tum adhuc plane necessaria esse potest, cum medicus non prius, quam post horam præterlapsam a veneno sumto, vel serius, arcessitur, quoniam medicus tum fere semper inflammationem natam deprehendit, cui venaesectionibus, hirudinibus, balneis vel fomentis paregoricis occurrentum. Mucilaginosis illis humoribus et sapone soluto cum oleo ad enemata etiam paranda utimur, quibus dejectiones alvi adjuventur et stimulus veneni leniatur, ceteroquin ubique perutilibus, si effectus veneni aliquandiu jam duraverint. Quae excretio alvina, quando vomitus sufficiens praecessit, potionē adjuvetur ex solutione saponarea tenuiori, nonnihil cum oleo lini, olivarum vel amygdalarum parata, fomentationibus abdomini superhabitatis, quibus crebrae dejectiones raro vomitu intercedente efficiuntur.

Quae ejecta sunt, ad disquisitionem reponenda. Iisdem remediis rubri etiam et citrini arsenici, et aliorum eius praeparatorum, vim venenatam impugnamus.

Jam vero veneno satis eliminato, vomititione, anxietate, ardore ventriculi, oppressione praecordiorum remittentibus, si non omne venenum, maximam tamen ejus partem ejectam esse suspicari licet, aegro-

tis aqua hydrothionica cum lacte propinetur, ejusque usus cum clysmatibus mucilaginosis ad perfectam usque restorationem continuandus. —

Ubi vapores aut pulveres arsenici respiratione excepti fuerant, praeter remedia supra commemorata, lac cum larga aqua hydrothionica et gas hepaticum caute hauriendum ex ferro sulphurato ope aceti fortioris elicatum.

Si pulvis arsenici aut aliud ejus praeparatum, unguentum, solutio ad externum usum data, beneficii causae erant, praeter aptorum medicaminum internum usum, venenum, quam citissime ab infecto loco removendum, pars ipsa aqua et lacte tepidis sedulo abluenda vulnusque scarificandum, deinde suppurationis promovenda est.

Alia, quae laudantur, nonnulla antidota, partim nihil juvant, partim temporis jactura, quam inferunt, aptioribus remediis opportunitatem praeripiunt, itaque nocent. Quo pertinent, cuius apud majores usus celebratur, theriaca, alcalia sulphurata, olea et butyrum, acetum, pulvis carbonis et infusa medicaminum adstringentium.

Si torments et dolor viscerum repente, interdum convalescentibus superveniens, arsenici in primis viis adhuc residentis vestigia produnt, aquae hydrothionicae cum lacte usus continuandus; praeterea victus

lacteus, tanquam unicum alimentum, non intermitterendus, quamdiu signa clandestinae inflammationis, exulcerationis, secretionis tunicae villosae, quae loca arsenicum arroserat, perdurant.

Diaphoretica remedia, opium <sup>1)</sup>, sulphur, praeципue balnea sulphurata mirifice conducunt, ubi arsenicum in secundas q. v. vias proiectum, et in intimum corpus exceptum, tremorem et dolores artuum, contractiones, paralyses efficit. Non parum etiam hic nervina nonnulla praestiterunt, asa foetida, valeriana, moschus et electrica materia <sup>2)</sup>. Quibus remediis si cesserunt symptomata chronica hujus beneficii, si cutis humescit, habitus emendatur, somnus et alacritas revertuntur, transeundum paulatim est ad usum tonicorum remediorum, lichenis islandici, ligni quassiae cum vino, et ad martialis. —

Quam necessarium insuper sit, ex aegroti animo omnia removere pathematha deprimentia, et remota corporea causa, convalescentiam animi quietudine socordia et jucunda recuperandae sanitatis spe adjuvare, vix monendum puto.

1) Ephemerid. N. Cur. Dec. 2. ann. 4. Obs. 12.

2) von Håns Heilmethode 4 Bd. S. 329.

## C A P U T II.

### *De arsenici usu in medicina.*

#### §. 1.

Atrocissimi autem arsenici effectus audax medicorum genus deterere non potuerunt, quo minus ejusdem in varios morbos vires tentarent, et cum externum illius usum hinc inde salutarem invenissent, deinceps arsenicum ad internam quoque curam adhibuerunt. — Verumtamen nullo non tempore artis peritissimi viri huic arsenici usui repugnabant. Amore etenim huius remedii non obcoecati, id, etsi cautissime adhibitum, tum quoque, cum haud sine successu adhiberi videbatur, citius, seriusve malam vim exserere, observabant. Quamvis non desunt casus, qui efficacissima medicamina admittant, (quis enim medicum vituperabit, si inveteratam syphilidem mercurio sublimato corrosivo caute adhibito sanare conetur) in eorum tamen morborum curatione, ad quam remediorum non ita nocivorum apparatus sufficit, tam infesta organismo materia vitari debet. Arsenici itaque usus rarissimis occasionibus, quibus anceps remedium melius

sit, quam nullum reservandus est. Neque cuiquam major cautio adhibenda, quam medico auctoritate et fama praeclaro, in commendando medicamine fortiore, simul vero efficacia ancipite; talis enim viri exemplum imitationem aliorum medicorum minus doctorum excitat, horumque mentem judiciis praejudicatis replet. Verum tum etiam, ubi arsenici usus vere salutaris est, medico arsenicum in auxilium vocaturo, cautelae quaedam cognoscendae sunt ad vim maleficam, quae nunquam non adest, avertendam. Quarum potiores sunt hae:

- 1) Aegroti, morbo jam debilitati, roborantibus medicamentis ad arsenici usum praeparentur, si ex hoc vehementiores effectus in organa digestionis existunt, quantum fieri potest, coercentur, et praecaveantur. — Itaque alimentis large nutrientibus, digestu facilioribus aegri restaurentur, alvi excretio ne tarda sit, efficiatur, caute vitentur acida vegetabilia et mineralia, refrigerium et animi commotiones.
- 2) Forma arsenici praescribendi semper sit forma solutionis, qua nulla alia certior et tutior et ad internum usum magis apta. — Recipiatur autem pauxillum tantum, et, quemadmodum in omnibus medicamentis venenosis, copia literis exscribatur, non numeris. Dein doses primo porriganter minimae et maxime dilutae, neque haec citius justo se excipient, ne forte prioris dosis

effectus posteriore nimium adaugeatur, qua de causa duae tantum vel tres singulis diebus sufficient doses, potionē demulcente involutae.

3) Gracilioribus et acutius, quam par est, sentientibus, arsenicum praebeatur cum opio junctum, quod efficaciam illius coērceat; simul caute observandum, an ex ejus usu vel levissima symptomata incommodi cuiusdam exoriantur, quae si vere acciderent, arsenici usus intermittatur, aut prorsus finiatur; quae necessaria sunt remedia, opponantur. Contra nauseam ex arsenici usu creatam, dolorem circa procordia et intestina laudatur opium cum muciliginosis et aromaticis rebus. Contra dolores in pectore saevientes, pseudoarthriticos, aliaque signa a perturbata cutis, pulmonumque functione produntia, spiritus salis ammoniaci anisatus et liquor c. c. succinatus, in majore artuum infirmitate, cortex peruvianus adhibendi sunt. Graviora ne exoriantur symptomata veneficio similia, in cautiore usu vix metuendum est.

Omnino vero incongrua cum usu arsenici sunt:

a) Aetas infantum, graviditas, puerperium, lactatio et senectus. b) Structura laesa viscerum ad vitam maxime necessariorum. c) Facultas sentiendi ultra modum acuta, speciatim ven-

triculus valdopere irritabilis, pulsus irritatus, plethora universalis, praecipue vero abdominis in haemorrhoidibus, hypochondriasi; vel congestiones sanguinis ad singulas partes, proclivitas ad inflammationes, et profluvia sanguinis. d) Vitandum est arsenicum in magna atonia ventriculi, ad spasticos motus, vomiturations, et emesin crebram, spontaneam proni; in alvi fluxu chronicō, inveterato; in febre hectica, in exulceratione viscerum, imbecillitate nervorum universali vel partiali.

Coercendus saltem arsenici usus est in cachexia scrofulosa et scorbutica dispositione.

## §. 2.

Ex quo tempore arsenici usus innotuit, medici, variis modis et additamentis venenatam ejus indolem corrigere studuerunt, prout istam vel alcalinam vel acidam esse, sibi imaginati erant. Nonnulli arsenicum sola aqua solutum adhibuerunt, alii cum variis aromaticis sub pulveris forma, alii cum sulphure sublimatum ad febres fugandas porrigebant. Deinde ad externum usum arsenici vim aceto vini, acido nitrico, adeoque acido sulphurico mitigare conati sunt, mirifice hac in re errantes. Hac enim ratione corrosiva potius ejus virtus augebatur, et maxime perniciosa reddebat, quae non potuit non ab omni usu alios deterrere. Alii, acidum arsenici re-

spicientes, alcali vegetabile addiderunt, utrumque in magna aquae copia solutum interne adhibuerunt. Hujus modi notissima solutio mineralis *Fowleri* existat et alia, qua *Brera* utebatur. Praeferrri tamen hisce meretur ea, quae, *Harlesio* auctore, arsenicum natro nuptum continet. Recipe: „arsenici albi crystallisati subt: pulverati, natri carbon. depur. siccii ana grana triginta duo; solve sensim adfundendo et diligenter triturando in aquae dest. simpl. ferv. unciis septem et dimidia. Solutioni perfectae et refrigeratae adde aquae cinnamomi vinosae q. opus est ut totius liquoris pondus fiat exacte unc. octo<sup>1</sup>).“

Mitior haec forma est, per longius tempus immutata servari potest, a ventriculo vero simul melius ferri videtur, quam aliae formae.

Externa vero applicatio contra ulcera maligna, fungos excrescentes et carcinomata, pro re nata, fieri potest per solutionem, pultem vel unguentum arsenici. Unguentum toti ulceris vel fungi superficie (si non nimis extensa est) semel vel bis quovis die instrato, quod crassitudine octavam ferme partem pollicis aequat, imponitur. (Commendatur sequens:

---

1) Decem hujus liquoris guttae continent decimam et quartam grani partem arsenici, et uni guttae inest septuagesima grani pars natri arsenicosi. Porrigebat autor adultis decem usque quindecim guttas; aegroto 10—14 annorum sex usque octo; infanti nondum 10 annos nato 3—6 guttulas, bis vel ter de die cum potu mucilaginoso.

Rec. „arsenici albi subtil. triti grana sex, butyri rec. non saliti drach. sex, cerae albae unc. dimid.; f. l. a. ungt.) In ulceribus, quae maxima sensibilitas, dolor vehemens, et continua ichoris largi exsudatio comitatur, *Harlesius* opium (gr. duodecim usque viginti) adjungit, unguento illi, cuius sextam partem ulceri mane illiniri, corio dein obtegi, sub vesperam removeri et ceratum simplex, vel serius ungt: basilicum applicari jubet. Post tertium quemque, quartumve diem, si nulla mutatio facta, unguentum arsenici repetatur, interjectis autem diebus modo dicta unguenta iterum applicentur. Solutio paratur, unum ad duo grana solvendo in aquae destillatae uncia una, (ulceribus phagedaenicis injicienda). Applicatio, tam externa, quam interna, in pulveris forma nimis periculosa est. Praeterea adhuc *Arnemannus* et *Cosmus* formulas nobis ad usum arsenici in carcinomate commendaverunt, quas, ut prae multis aliis usitatas, breviter hic enarrabo <sup>1)</sup>.

Hisce superhabitis nonnunquam atrocissimi nascuntur dolores cum tumore, quos cataplasmatibus

---

1) Formula Arnemanni haec est:

Rec. Arsenici albi subt. pulv.  
flor. sulph. ana dr. unam  
aceti destill. unc. dimidiām  
ungt. nutriti unc. unam.

M. D. S. Linteo tenue illitum adhibetur ulcri. Hac compositione *Birchium*, chirurgum Londineensem complura carcinomata sanasse narrat *Ehrlichius* in libro: chirurg. in London gemachte Bemerk. Leipz. 1795.

emollientibus cum aqua saturnina mixtis sedare studemus; si vero dolor nimis augetur, et pars affecta insignem in modum intumescit, adeoque aegrotus febre corripitur, unguentum, quantum fieri potest, removeas, ulcusque lacte tepido abluas.

Vix hic commemorare necesse est, externorum remediorum arsenicalium applicationem, haud minus quam internam, omnem, quam supra exposui, cautelam et accuratam omnium, quae usum arsenici forte vetent, aestimationem requirere.

### §. 5.

Jam venio ad morbos ipsos, quibus fugandis arsenicum famam sibi paravit. Ubi, quam non ea solum virorum experientissimorum testimonia referam, quibus hoc vehementissimum pharmacum commendatum sit, verum illa quoque, quibus probatum est, arsenicum fere semper damnum affere,

---

#### Formula Cosmi:

Rec. Cinnabaris drach. duas

Ciner. solear. gr. octo

Sanguinis dracon. gr. duodecim

Arsenici albi scr. duos.

M. Fiat pulv. subtilissimus, cuius copia necessaria in vase vitro cum saliva vel aqua penicilli ope in pultem redacta ulceribus, antea depuratis, illuitur, et dein cum tela aranea vel byssso ex vasibus vinariis tegitur. Quas alias formulas laudaverunt, legas in Voigteii mat. medica. Edit. Kuehnii 1817. Tom II. Pag 466 etc.

et saepissime adeo perniciosum esse, facile judicari poterit, an re vera famam commeruerit, qua ante hos aliquot annos extollebatur, atque an omnino tanquam usitatum in re medica retineri debeat medicamentum, nec ne.

In nullo quidem morbo frequentius ejus usus erat, quam in febribus intermittentibus.

Postquam anno saeculi **17** undequinquagesimo per fratres ex societate Jesu cortex peruvianus in Europa innotuerat, medici omnes festinabant, hanc panaceam in febribus propinare. Saepissime autem nimia eorum exspectatio fallebatur, vel, quia cortex sine ulla conditione et ubique febrem dicebatur fugare, vel pretii causa nimis parca manu porrigi solebat, (copia unius tantum vel duarum drachmarum fugandi totius morbi causa) vel tandem, quia haud semper genuinus cortex acquiri poterat. Qua re corticis, saepe non efficacis usum negligebant, aliudque, quod omnes intermittentes febres sanaret, quodque in arsenico reperisse sibi videbantur, remedium quaerebant, quod igitur ab hoc inde tempore aliquamdiu frequentissime adhibebatur <sup>1)</sup>). Quis vero primus

---

1) In collectionibus Vratislav: Samml. von Natur. und Medic., Kunst und Literatur Gesch. 1721 S. 630.) refert D. *Sebast. Alischer*: „*Andreae Nitschii ocularii, herniotomi et lithotomi circumforanei arcanum*, quod ad febres fugandas adhibuit, arsenicum fuisse, quod pro dosi ad grana tria dedit, et cuius plus quindecim vel sedecim libras exhibuit.“

temeraria manu porrexerit arsenicum, haud liquet.

Utrumque medicamentum ex hoc tempore varia fortuna, nunc secunda, nunc adversa, tanquam specificum contra febres intermittentes usurpatum est; ita tamen, ut cortex ab aequis judicibus arsenico longe praeferretur. Ratione enim sola intelligitur, arsenicum, si unquam licet eo ad fugandas febres intermittentes uti, nonnisi tunc in auxilium posse vocari, quando remotis omnibus morbum concomitantibus malis simplex febris supersit, simulque vires primarum viarum ad medicamentum tam vehemens ferendum sufficient, febris autem corticis apte adhibiti vi, opprimi non potuerit.

Bis vel ter quotidie apyrexiae tempore datum, tertianas et quartanas febres ab *Harlesio* dicitur mox profligare, quotidianis autem tanto minus convenire, quo magis ipsae remittentibus sint propiores. In duplicibus et lethargicis febribus tertianis et quartanis, sicuti opus esse, post quartam quamque, quintamve horam dosin exhiberi; quin etiam post fugatam febrem semel vel bis die per integrum hebdomadem continuari; debiliores autem simul calamo aromatico, cascarilla, vino et aliis ejusmodi medicamentis roborari. Neutiquam vero in arsenici usu, alia medicamina semper removenda esse. Saepissime opium, aliaque antispasmodica, corticem et alia tonica remedia, ubi viribus jam attenuatis, symptomata nervosa accedunt, atque

timendum est, ne paroxysmus brevi recurrat; con-jungenda, aut interponenda esse. Tunc, cum opium febrifugam arsenici vim aliquantum augeat, *Brera* auctore, cum arsenico junctum, mane et vespere praebendum est, ita ut alia remedia apta illorum dosibus interponantur. Idem se multas febres intermit-tentes, natura et typo varias, in hominibus diversae constitutionis et aetatis, arsenico, brevi tempore sa-nasse contendit, neque post quadriennium adeo se-cundarios quosdam et nocentes effectus animadver-tisse.

*Hornius, Arnemannus* aliique medici supra com-memorati, se eodem successu arsenico usos esse, re-ferunt <sup>1</sup>).

*Sulzerus* <sup>2</sup>) observationes, de vi arsenici febri-fuga in medium prolatas, perlustrans concludit: fe-bres in iis aegrotis, quibus arsenicale remedium vomitus ingentes, vel sudores excitavit, non eodem modo sub-latas esse, quam quo alia emetica vel sudorifera fe-

---

1) *Hufel. Journ. d. pr. Heilf. VI. Bd. 2 St. S. 38. — 3 St. S. 29. — X Bd. 2 St. S. 5. Schaefferus* pertinacissimas febres nonnullas intermitentes pilulis ex arsenico cum cor-tice peruviano, opio et quassia, vel solutione illius cum opio se profligasse, contendit.

2) *Dissertatio de arsenici usu medico, observat. illustrato.* Jenae. 1796.

bres intermittentes suppressere solent; aliis aegrotis vero, quibus arsenicum neque vomitum, neque sudorem provocavit, neque aliam secretionem, istas febres non funditus sanatas esse, sed ita potius suppressas, ut vel redirent, vel alias morbos graviores producerent, vel infirmam valetudinem redderent.

Procul dubio non inest arsenico vis, quae dicitur specifica antifebrilis, qualis in cortice peruviano, sed irritamentum solummodo praeter naturam acre est, quod immodecum provocet et universam virium vitalium intensionem, qua non modo stimulus ipse incongruus, sed simul etiam (si qua forte suberat) materia morbitica eliminetur, et recta systemati nervoso mire percusso, temperies restituatur, si quidem organisus victoriam hujus certaminis reportat. Quod si non contingit aegrotis, citius seriusve succumbunt.

Similis certe ratio febres intermittentes sanandi, multis aliis pharmacis, vulgi ore magnopere celebratis est adscribenda, posita nimirum in fortiori et peculiari nervorum aliorumve systematum irritatione. Sed haec pharmaca hac re ab arsenico differunt, quod secundarii effectus aut minus atroces, aut plane innocentes sunt. Etenim jam *Stahlius* (l. c.) refert, se aegris quibusdam, qui febribus intermittentibus laborarent, arsenicum album porrexisse, inde febres quidem fugatas, secutas vero oppressionem, anxietatem, vertiginem, convulsiones vehementes, sudorem copiosissimum gelidum, tandemque mortem ipsam. —

*Quarinus*<sup>1)</sup>) quotidianam febrem, quam tinctura arsenicali curare studuit, per 5 annos perseverare, corpusque consumere vidit. Idem fere *Liber Baro de Stoerk*<sup>2)</sup>), solutionem kali arsenicosi apta dosi aegroto exhibens, expertus est; febris sane supprimebatur, sed arsenicum ardorem in sterno, tussiculam sicciam, magnam sitim aegro reliquit, appetitum penitus delevit, vires et carnes oppressit et sic supervenit febris hectica, a quibus malis haud sine magna cura liberari aegrotus potuit. Minori dosi ejusdem remedii alii aegroto exhibita, paroxysmi paulo mitiores reddebantur, simul vero dictae molestiae oriebantur, a quibus lacte et mucilaginosis liberatus, corticis peruviani ope convaluit aegrotus. Haec expertus *Stoerkius* ipsa febre pejus judicavit hoc febrifugum, et ab eo plane abstinuit. *Fischerus*<sup>3)</sup> quoque haud feliciter arsenico utebatur, redibant febres, vel alii sequebantur mali eventus. In qua re *Hahnius* et *Siebertus*<sup>4)</sup> consentiunt. *Ebersius*<sup>5)</sup> solutionem *Fowleri*, mixturam antifebrilem *Heimii*, et pilulas a *Marco* commendatas in nosocomio Vratislaviensi, in multis aegrotis febre intermittente laborantibus adhibuit, sed perpauci tantum

---

1) Method. medend. febr. 1777. p. 138.

2) Annus medic. primus 1760. p. 79.

3) Hufel. Journ. XII Bd. 5 St. S. 16—18.

4) ebend. XII Bd. 2 St. S. 130.

5) ebend. X Bd. 3 St. S. 53.

hisce remediis sanabantur; plurimi jamjam a paucis dosibus vertigine, cephalalgia, sensu scintillarum ante oculos conjuncta, dolore pectoris, tussi cum sputis subsalsis, gastrodynia ardente, vomitu, dolore viscerum corripiebantur. Quibus sublatis febris recurrentes nonnisi cortice peruviano sanari poterat. Nemini autem parcebant effectus arsenici secundarii, a nutritione laesa pendentes, ita ut omnibus aegris sanitas sero et tarde redderetur. Eadem fere observabant *Jahnius*<sup>1)</sup> et *Voigtelius*<sup>2)</sup>.

Sufficient haec, ut demonstretur, arsenicum validopere anceps et nimis violentum esse remedium morbi, qui aliis quoque medicamentis, non ita facile nocentibns, sanari potest.

Nolo enim earum febrium intermittentium mentionem facere, quarum vis ad sanandos alios morbos chronicos (v. g. infarctus, spasmos inveteratos, catamenia anomala) salutaris est, haec enim, non sine summo aegroti damno, praepostere arsenico supprimuntur; neque eas febres intermittentes commemo rabo, quae sine ullo medicamine, diaetae strictiori, habitatione mutata, sponte cedunt, vel resolventibus tempestive adhibitis, et sine aliis remediis facile tolluntur, sed pertinaciores febres solummodo, quae

1) Materia medica T. I. p. 402.

2) l. c. Vol. II. p. 465.

graviora requirunt remedia, respiciam. Verum his etiam arsenicum remedium foret nimis desperatum, nam vel harum pertinacissimarum febrium sanatio, bene succedit curationi, prudenter institutae, et constanter continuatae, medicamentis in usum vocatis longe minus violentis. Apto corporis animique regimine et cultu, cortice peruviano suo tempore dato, idoneis vel necessariis medicaminibus conjunctis, sine omni venenata indole nocivisque effectibus, vel pertinacissimae febres curantur.

Verum non in febribus modo intermittentibus, sed in aliis etiam morbis, recentiori tempore in primis, solutione arsenici albi a *Fowlero* commendata utebantur.

Ita *Ed. Alexander* <sup>1)</sup> se in asthmate spasmatico, in angina pectoris et in epilepsia verminosa haud sine fructu hanc solutionem dedisse narrat. Contra epilepsiam quidem praeterea laudatur in *Ephem. Hufelandi* Vol. IX. fasc. 3. p. 55. 59. 62. 67; rheumatismum inveteratum et arthritidem eodem levare *Hardmannus* <sup>2)</sup>, *Jenkinsonius* <sup>3)</sup> et *Kellius* <sup>4)</sup> observarunt; quin etiam melancholiam eidem cessisse,

---

1) Samml. f. pr. Aerzte Bd. XIV. S. 427. u. S. 433.

2) Samml. f. pr. Aerzte Bd. XXIII. S. 505.

3) Neues Journal der ausl. med. Literatur. Bd. IV. St. 1. S. 172.

4) Med. chir. transact. Lond. 1809. Vol. I.

*Ackermannus* refert <sup>1)</sup>). Bene etiam arsenici usus externus et internus in morbis cutaneis pertinacibus, nec non, ubi structura cutis organica morbose mutata erat; in ulceribus phagedaenicis, inveteratis, scrofulosis et herpeticis, jam prius successit <sup>2)</sup> et recentiores internum arsenici usum simul adhibitum in his morbis salutarem fuisse ajunt <sup>3)</sup>. Fungum magnum, qui facile et diu sanguinem fundens, fronti inhaerebat, *Sieboldus* ope pulveris Cosmi <sup>4)</sup> sanavit. Syphilidi et hydropi oppositum, arsenicum opem non tulit, sed nocuit potius, et contra lepram crustosam initio haud inutile quidem visum est, sed repente sexta vel decima tantum grani parte, ter quotidie sumta, omnia beneficij signa produxit, *Heissio* teste. <sup>5)</sup>.

Plurimae harum observationum vero nonnihil semel factae sunt, et propterea arsenici vires medici-

---

1) Neues Magaz. f. Aerzte 5 St. 2 Bd.

2) Ludov. pharmac. in artis formam redact. p. 292. Michaëlis tract. de morbis externis.

3) Eduard (Samml. f. pr. Aerzte. Bd. XXIV. S. 448.) solutione Fowleri herpetem sanabat. — Foderé, vid. Journ. de medic. 1807. T. 13. — Otto, Samml. f. pr. Aerzte. Bd. XXII. S. 242. — Girdlistone, vid. Lond. med. and. phys. Journ. 1806. — *Mursinna* (Journal der Chirurgie Bd. I. St. 3.) majorem utilitatem vedit ex arsenici usu in ulceribus herpeticis, quam in ipso carcinomate.

4) Hufel. Journ. IV. Bd. S. 1.

5) Hensler vom abendl. Aussaße S. 354.

nales in nonnullis horum enumeratorum morborum nondum tam certe cognitae sunt, ut in similibus casibus, cum incerto tali, simul etiam ambiguo pharmaco, pericula facere liceat.

#### §. 4.

Verumtamen perniciosissimus exstat morbus, cancer seu carcinoma, qui pharmaci nostri usum non solum permittit, sed requirit adeo, ex Hippocratis nimirum dicto: „in extremis morbis extrema remedia exquisite optima.“ Cujus morbi curam suscipienti medico, ante omnia diligenter explorandum est, utrum origo carcinomatis ex locali pathemate, vel ex miasmate in locum certum translato, vel ex dispositione quadam morbosa, functione aliqua laesa, repetenda sit, an potius malum primo tempore quidem particulare fuerit, deinde vero totum corpus sensim sensimque in societatem traxerit; porro, quounque focus ipsius extendatur. —

Princeps vero curandi regula haec ubique est: prohibere, ne ulcus carcinomatosum partes adjacentes, vel totum corpus viro inficiat, quod resorptum ad glandulas lymphaticas deducitur et in sanguinem ipsum diffunditur.

Quod quidem, aut cultro remota, aut chemico modo mutata massa carcinomatis, fieri potest.

Cultri vero usus tum solummodo sufficiet ad carcinoma curandum, si nondum morbus universalis factus est. Ubi vero partes primum infectae cum finitimi simul multum sunt carcinomate de-structae, extirpatione instuenda quidem, sed ad morbum radicitus eruendum raro sola sufficiens. Hic igitur chirurgia adjuvanda est a medicina interna. Si partes degeneres omnes aut excidi nequeunt, aut cultro propter vasorum magnitudinem, propter re-conditum situm, aut propter functionem ad vitam conservandam necessariam plane non tangi possunt, ille minime admovendus est. —

Deinde ferrum candens et corrosiva laudantur, quibus virus cancrosum ex partibus correptis deleatur, attamen ferrum candens non nisi ad integumenta et ad partes superficie proximas admittendum, vel ad eas in quibus cultro abscissis, morbosi quidquam relictum est, quod excidi non potuerat, vel etiam si, proxime ab extirpatione, ignis ope indolem ulceris omnino mutare, ipsumque purum reddere conamur.

Inter corrosiva plurimi arsenici virtutem praecipue laudant autores. A veteribus enim jam commendatum est <sup>1)</sup>). Apud Arabes externus usus ejus in carcinomate haud incognitus, et in scriptis (sae-

---

1) Celsus I. c. lib. 6. cap. 18.

culi 16. et 17.) *Fernelii, Fullopiae, Fr. Plateri*, varia contra cancerum composita pharmaca occurrunt, quorum princeps pars arsenicum est, v. g. pasta caustica *Riverii*, et pulvis benedictus *Hartmanni*; denique recentioribus contra carcinoma laudatis arcansis remediis fere omnibus arsenicum inest<sup>1</sup>). *Februrius* et ipse haud niediocris laudator arsenici, methodum tam externi, quam interni usus protulit, quam multi sequebantur, cujusque utilitatem plus quam centies se dicit observasse<sup>2</sup>). Alia testimonia utilitatis tam frequentia edebantur, ut vix de veritate dubitare liceat<sup>3</sup>). — Ab altera parte vero modum excederemus, si nunquam spem falli hoc remedio posse, putaremus. Nam interdum arsenicum sane nocuit magis, quam juvit<sup>4</sup>). Vix unquam carcinoma uteri

1) Horum mentio sit in: Samml. f. pr. Aerzte XI Bd. S. 736.

Bd. XII. S. 434. — Richters chir. Bibliothek. III. Bd. S. 482.

V. Bd. S. 536. 626. — VIII. Bd. St. I. S. 76. St. 2. S. 181.

Baumann, Dissertatio de cancro, subjuncta remedii hactenus arcani declaratione, Lips. 1814; et Voigtel. I. c. p. 470.

2) Reméde eprouvé pour guérir radicalement le cancer occulte et manifeste, a Paris 1775. Samml. f. pr. Aerzte Bd. II. St. 4. S. 170.

3) *Chopart et Desault*: Traité des maladies chirurg. T. I. p. 36. Rönnow, Abhandl. d. schwed. Akad. d. Wissenschaft. Bd. XLI. 1773. — *Adair*, medical comment. Vol. IX. *Rush*, med. Unters. u. Beob. aus dem Englischen. Leipz. 1792. S. 255. — Schmalz, seltne chir. u. medic. Wahrnehm. Leipz. 1784. — Schneider, in Richter's chir. Bibl. Bd. VIII. S. 24. — Althof, pract. Bemerk. über einige Arzneymittel. S. 290.

4) Richter's chir. Biblioth. Bd. IV. S. 386. Stark bey Nicolaï's Recepte u. Kurarten. S. 107. 114. Theden in

eo sanatum est, saepius mammae<sup>1</sup>), maxime vero partium minus glandulosarum, e. g. faciei<sup>2</sup>).

Ad scirrum discutiendum arsenico uti, vel medicamento interno, vel externo, omnino audacius esset. Nam si benignus adhuc est scirrus, multo lenioribus medicaminibus resolvi potest; at ubi tanta est structurae partis obduratae depravatio, ut resolvi nullo modo possit, omnia remedia, vi resolvendi praedita, nocent, et nonnisi ichorosam partis exulcerationem adducunt. Ubivis autem scirri tempestiva excisio, si natura et situs partis affectae permittunt, medicamentorum apparatui erit praeferranda.

Si ulcus carcinomatosum non magnum glandulæ structurae organon corripuit, si non nimis profundum haeret, si voluntas aegroti cultrum reputat, si, quae supra enarravimus, momenta repugnantia nondum existunt, sub omnibus hisce conditionibus arsenici, tanquam cauterii, usus aptus est.

Loder's Journ. f. d. Chirurg. Bd. I. S. 5. — Hargens in Hufel Journ. Bd. IX. St. 1. S. 190. — Mursinna, Journ. d. Chirurgie. Bd. I. S. 3.

1) Schmalz l. c. — Marten's Allgem. medic. Annalen, August 1801.

2) Richter, med. chirur. Bemerk. Bd. I. S. 45. — Weineck in Loders Journ. f. d. Chirurg. Bd. I. S. 148. — Lund ibidem Bd. II. S. 524. — Hargens in Hufeland's Journ. Bd. IX. St. 1. S. 186.

In magna quidem ulceris superficie, et in cancro linguae, palati, uteri, absorptio metuenda est, quae de re his in locis arsenicum, vel plane non, vel saltem cautissime adhibeatur. — Verum non solum caustica sua vi, sed aliis etiam virtutibus chemicis, arsenicum ulcus cancerosum destruere videtur, ob eamque causam internus etiam usus haud insolitus est, praecipue si virus cancri ultra partem primarie affectam in totum corpus abiit, vel ubi opportunitas ad carcinoma in toto corpore adesse videtur. Nec tamen sine magna cautione praeberi debet, omnibus, quae circa diaetam jam monita sunt, stricte simul observatis.

Duplici vero consilio externa arsenici applicatio commendatur, vel, ut naturam materiae carcinomatose alterans ulcus dissolvat, ichorem corrigat et organa ipsa ad eam reactionis energiam stimulet, qua ad normalem secretionem reducentur; vel, ut secretionis apparatus in ulcere destruat, et cancerosum ulcus in simplex et melius mutet.

Ad priorem finem solutione utimur modo fortiori, modo tenuiori, prout efficacius vel lenius partes affectas pertractandi animus est. Duo ad octo grana arsenici in libra decocti cicutae vel calendulae soluta, huic proposito optime respondent, apteque fasciis impraegnandis inserviunt. Si vero quis arsenico, (quod saepius fit) cauterii instar, uti velit, vel *Arnemannii* jam prolatum unguentum vel pulvis

*Cosmi*, quo nullum aliud praeparatum efficacius, quodque in carcinomate faciei egregiam virtutem praestitit, in promptu est. Ad cuius remedii usum aegroti uno altero ve laxativo remedio solent praeparari; si ulceris ambitus non mediocris est, providenter fonticulus antea formandus, et victus lacteus aegroto praescribendus. Jam purgato ulceri, pasta cum pulvere illo parata, penicilli ope illinitur, ubi vero majori superficie ejus impedimur, quo minus totam arsenico obducere possimus, (ob metuendam resorptionem) primum locis solummodo quibusdam infertur. Post aliquot horas dolor vehemens partis cancro affectae oritur, maximus vero in facie, si hujus carcinomati arsenicum fuerat illum, tumor mirum in modum augetur, interdum sanguinis effluvium (quod vero chirurgum non statim deterreat, sed pultis ipsius ope sistendum est) sequitur. Cavendum vero est, ne prius justo pasta illita abstergeatur, et, si secretus humor locum denudavit, denuo pasta obducendus ille est, eaque cura tam diu continuanda, donec crusta dura, laevis, ulcus cancerosum aequaliter obducatur. Ceteroquin quo atrocior dolor tumorque partis medicamine affectae, eo laetior saepe eventus esse solet. Post quatuor sexve dies suppuratio ulceris supervenit, post duodecim vel quindecim dies, nonnunquam post tres demum septimanas, crusta obdurata sponte incipit solvi, (quae haudquaquam violenter dirimenda est) et in ambitu ulceris margo prodit suppurans. Crustae decessus naturae prorsus relinquendus est, deinde

vero unguentum simplex ulceri superhabeatur; experientia enim docet, quo tardior sanatio sit, quo magis spontanea, eo feliciorem esse eventum. Si particulae crustae obducentis hinc inde resident, intactae serventur, donec sponte secedant. Plerumque legitima et benigna suppuratione ulceris jam primam remedii hujus applicationem sequitur, sin minus, repetenda est. Facile deinde et reliqua curae pars unguento, ex tinctura myrrhae et unguento digestivo, vel ex pulvere carbonum et unguento de styrace composito, absolvitur.

## C A P U T III.

### *De modo arsenicum investigandi.*

#### §. 1.

Veneno aliquem necatum esse, omnibus medicis consentientibus, neque effectibus materiae cuiusdam, neque mutationibus in cadavere observatis certo probari potest. Nam fere nullum signum exstat pathologicum, quod non alia ex causa produci potuisse. Sed materia tantum veneni, vel in corpore, vel extra corpus, si vomitu vel faecibus ejecta erat, reperta, certum argumentum constituit beneficii. Quare id nobis ante omnia est agendum, ut indolem et copiam veneni, in hominis cadavere, quem veneno necatum putamus, exploremus. Idecirco venenum partim in rebus, quae hominem circumdant, in coenae apparatu, materiis egestis, partim in ipso corpore quaerimus, in ventriculo, intestinalium tractu, quin etiam in sanguine.

Jam si ipsae reliquiae arsenici albi, (quod usitatisimum venenum est) aut rubri, aut citrini comprehenduntur, physica eorum signa<sup>1)</sup>, partim sensibus immediatim, partim ope materiarum, chemice in arsenicum reagentium, detegenda sunt. Quod quidem triplici modo perficitur, dum arsenicum aut solutum, materiis quibusdam praecipitatur, et praecipitati colore cognoscitur, aut in metallicam formam reducitur, aut in metallum regulinum restitutum et combustum, odore agnoscitur.

Si liquori limpido arsenicum inest, corporibus reagentibus uti oportet, et si haec arsenicum indicaverunt, omne arsenicum per aquam calcis praecipientandum est. Praecipitatum collectum, cum pari quantitate pulveris carbonum, et dimidia acidi boracici subactum, in vase vitro cylindrico candefiat, quo facto arsenici metallum, tanquam velamentum nitidum parietis vitrei, in conspectum prodibit. Charta alba cum metallo trita, splendorem metallicum accipit, et si incenditur, fumum albicantem et odorem arsenico proprium edit.

Ex vino, potu caffae, theae infuso, lacte et jusculo carnis, per aquam hydrothionicam, vel li-

1) Nempe per *acidum hydrothionicum*, porro per *aquam calcis*, *saccharo* addito, secundum *Schweiggerum* paratam, *cuprum* et *ferrum sulphuricum*, denique per *argentum nitricum*; de quorum adhibendi modo et cautelis jam priori hujus disquisitionis parte disserui.

quorem ammonii hydrogenato-sulphuratum (*Wendlandio* auctore) praecipitandum est arsenicum, acido, si praevalet, antea neutralisato. Praecipitatum cum pari copia alcali, et dimidia pulveris carbonum conjungendum et sublimandum.

Ne colores liquorum impediunt, quo minus color praecipitati rite cognoscatur, suadent nonnulli, illos ope aquae oxymuriaticae antea deleri, acidumque hoc, ante usum reagentium alcali absorberi.

Si cibi perscrutandi sunt, quibus forsan sacchari vel salis loco arsenicum additum fuerat, (pultes e farina, etc.) brevissima via arsenicum ita investigamus, ut omnem massam in vase porcellaneo ad ignem arefaciamus, dein fortiori aestu (qui vero centesimum gradum sc. R. superare non debet, ne arsenicum jam hic aufugiat) in carbones redigamus. Tum demum in vase idoneo arsenicum sublimandum. Horum ciborum partem possis etiam aqua destillata fervente coquere, et liquorem per filtrum trajectum explorare.

Ex unguento separatur arsenicum, si alcoholis ferventis ope adipem solveris. Ex emplastro, diluto lixivio alcalino extrahitur, partesque adiposae et resinosae acido nitrico praecipitantur, quo facto, ex liquore remanente arsenicum, modo narrato secernitur.

Cum in corpore, per arsenicum necato, praesentis veneni vestigia interdum nullo modo possumus demonstrare, quamvis materiam ventriculo retentam, cumque ipsum diligentissime perscrutati simus, summi momenti est vomitu et faecibus ejecta explorare, quia forte aeger, si illi e. g. aquae calcis, lactis, saponis soluti etc. multum exhibitum fuerit, venenum omne evomuit. Haec vero ejecta, primum aqua destillata diluta perlustrantur, an forsan granula alba, vel citrina (arsenici albi et sulphurati) fundum petant, quae deinde perscrutanda sunt. Jam fluida, filtro separentur a solidis, et solutione calcis saccharatae addita, omne praecipitetur et tum dicto modo in metallicam speciem restituatur. Solidae partes ita tractari possunt, uti supra de reliquiis ciborum praeceptum est.

## §. 2.

Si post mortem ventriculus, intestina, eorumque contenta examinanda sunt, diligenter circumspiciatur, num residua veneni in tunica villosa, vel in locis inflammatis, largiori muco tectis, vel in sanguine effuso, lateant. Postea ventriculi contenta in aquam immittantur, aqua saepius commoveatur, et tunc observetur, num arsenicum, si forte non solutum superest, fundum petat, quod tum diligenter sejungendum est. Citrinae quoque particulae inventi possunt, si post largum usum aquae hydrothionicae, sulphuratum arsenicum factum est. Haec

vero mechanica procedendi via profecto inutilis est,  
 ubi acidum arsenicum vel arsenicum album solutum,  
 vel pulvis ejusdem subtilissimus mortem adulterat.  
 Jam tunicae ventriculi in particulas dissectae, cum  
 contentis in s. q. aquae destillatae, in vase apto co-  
 quantur, additis simul pro varia liquoris copia, una  
 ad quatuor drachmis kali caustici, ad solvendum  
 omne acidum arsenici. Decoctum fervens per  
 filtrum trajiciatur, residua pars iterum iterumque  
 coquatur. Liquori inde parato glutinoso, flavescenti  
 foetido, inter coquendum acidum nitricum sensim  
 addatur, quantum opus est, ut liquor limpidus,  
 pellucidus et flavus evadat. Hoc tractandi modo  
 destruuntur animales partes, acidumque arsenico-  
 sum, ex parte in arsenicum mutatur. Tum vero  
 liquori, kali aut ammonium causticum adjiciatur,  
 ita ut acidum paululum solummodo praevaleat. Ut  
 vero in liquore jamjam kali vel ammonium nitricum  
 continente, arsenicum praesens cognoscamus, pri-  
 mum minorem partem ope omnium corporum rea-  
 gentium examinamus, deinde ex reliquo liquore  
 omne arsenicum aquae calcis ope praecepitamus.  
 Simul vero partes animales, acidum phosphoricum,  
 oxalicum (quod destructione materiae animalis per  
 acidum nitricum productum erat) cum calce sece-  
 dunt. Quaeque vero fundum petierant, cum acido  
 boracico et carbone misceantur, ad metallum arsenici  
 restituendum. Solus enim regulus arsenici paratus,  
 certissimum testimonium beneficij peracti est. Ad  
 metallum arsenici restituendum aliqua pars solutio-

nis arsenicalis, apparatui voltaico subjici potest, quo et minima arsenici pars adhuc detegebatur.

*Zierius*<sup>1)</sup> invenit, connubio kali acetici, arsenicum perquam solubile reddi. Si igitur ventriculus et contenta ejus cum copia hujus salis triplo majore, quam quae arsenici existimatur, in sufficiente aquae quantitate coquuntur, (partes animales hac ratione nullae solvuntur, neque acidum oxalicum formatur,) e colato liquore, qui aptissimus est ad examen per reagentia, cupro sulphurico ammoniato pulvis praeципitatur, qui cum acido nitrico diluto digestus, acidum arsenicosum relinquit.

Sanguis si inquirendus est, ubi aliunde certi nihil se prodidit, aptissime in carbones redigatur, dein sublimetur, quo facto regulus arsenici, si adest, apparebit.

Sicca enim tantum via, non humida arsenicum e sanguine extrahi potest.

---

1) *Dissertatio de investigando dentoxydo arsenici. Heidelb. 1819.*

---

cepit, ita ut quod ipsa omnia sunt in litteris, etiam in operibus  
et in aliis quod in libro eiusdem nomine continetur. Et  
sunt in libro eiusdem nomine continentes etiam  
scripturae prophetarum et apostolorum. Quod est  
scripturae prophetarum, videtur esse, quod in libro  
prophetarum continetur. Quod est scripturae apostolorum,  
videtur esse, quod in libro eiusdem nomine continetur. Et  
scripturae apostolorum continentes sunt in libro  
eiusdem nomine continentes.

Ita etiam libro eiusdem nomine continentes sunt  
scripturae apostolorum. Quod est scripturae apostolorum  
videtur esse, quod in libro eiusdem nomine continetur. Et  
scripturae apostolorum continentes sunt in libro  
eiusdem nomine continentes.

Scripturae apostolorum non solum in libro eiusdem  
nomine continentes sunt, sed etiam in libro eiusdem  
nomine continentes sunt.

Scripturae apostolorum non solum in libro eiusdem  
nomine continentes sunt, sed etiam in libro eiusdem  
nomine continentes sunt.